



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 151. Rex dirempto prælio, motisque castris Corbolium profugus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CLI.

Sæcul. XV.
A. C. 1465.*Rex dirempto prælio motisque castris
Corbolium profugus.*

Comes Carolesius, imminuto suorum numero, ad iteratum prælium, quod altera die sibi impendere timuit, viribus sese imparem esse cernebat; quocirca diu suspensus hæsit, an in iisdem castris novos hostium insultus expectaret, vel inde recederet. Censuit Contaiensis Dynasta, quod albescente coelo iterum Gallis obviam eundum esset: ast nuntiatum brevi, Regem vasa collegisse, ac Corbolium recessisse. Carolesius percepta hac Regis fuga ingenti gaudio afficiebatur, sibi que, cum hostem castris exuisset, victoriæ gloriam adscribebat, quæ tamen exiguo prorsus impendio stetit, occisis tantummodo ex utraque parte tribus circiter millibus. Brezæus Senescallus, qui invitum quoque Regem ad ineundam pugnam impulerat, inter primos occubuit. Hic ipse quondam Regi venationi intento, ac parvo equo insidenti dixerat, hunc equum, licet corpore infirmum, ceteros tamen omnes totius Regni equos viribus longe superare; cum Regem simul ac totum eius Senatuum dorso suo sustineret: liberiori hoc joco Regem redarguebat, eo-

N 5

quod

Sæcul. XV. quod proprii sui arbitrii mancipium, in
A.C. 1465. gravissimis Regni negotiis nullius con-
 filium expeteret.

§. CLII.

*Bituricensis, & Britannicæ Ducum
 apud Stampas congressus.*

Paucis post prælium diebus delatum
 est nuntium, quod Britannicæ Dux u-
 nacum Bituricum Duce, & Dunensi Co-
 mite Stampas appropinquaret, eosque
 comitarentur Cabannius, Loheacius, Bec-
 cillius, & Calvimontius, ejusque Filius
 Carolus Ambaciensis, præter sex millia
 Nobilium, qui omnes animi fortitudine,
 corporisque proceritate longe præstan-
 tissimi erant. Re intellecta Carolesius
 rupta omni cunctatione eo se contulit,
 horum adventum præstolaturus. Illis
 igitur eo venientibus, deliberatum est de
 expeditione, quæ selectis adeo copiis
 committeretur. Cum vero Carolesius
 Comes probe cognosceret, quod Bituri-
 cum Ducem foederi nomen dedisse poe-
 niteret: hinc eo ex tempore foedus cum
 Anglis inire, eosque denuo in Franciam
 advocare statuit. Hac super re consul-
 tatione facta decretum est, ut recta Lu-
 tetiam Parisiorum exercitus contende-
 ret, ac Vastiniensem Provinciam transi-
 ret; cum vero Gamachius Marefcallus
 Sancti